

2297.

QVI EX PHILOSOPHIA IN ACADEMIIS
TRADI SOLITA FRUCTVS HAVRIRI POSSIT?

ORATIONEM

QVAM

PROFESSIONIS PHILOSOPHICAE

EXTRAORDINARIAE

IN VNIVERSITATE ARTIVM LIPSIENSI

KALEND. IVL. CIOIOCCCLXXVIII.

H. L. Q. S.

ADEVNDAE GRATIA

RECITABIT,

INDICAT

CAROLVS ADOLPHVS CAESAR

AA. M.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMII

Philos.

A.

200,24

Philosophia

1770

UNIVERSITÄT ZU ALTDAMM
PHILOSOPHIE FACH

ORATIONEM

PROFESSIONIS PHILOSOPHICAE
INSTITUTIONE

IN UNIVERSITATE ALTDAMIENSIS
PHILOSOPHIAE

AD HONORANDUM

Sächsische
Landesbibliothek
Dresden

CAROLUS

1770

Cogitanti mihi saepius, qui fiat, ut ex tot, iisque non exigui ingenii adolescentibus, qui philosophorum scholas in Academiis apertas frequentant, perpauca reperiantur, qui percipiant eos utilitatis fructus, quos, cum ad illas primum accederent, ex iis sese collecturos esse sperauerant, huius rei variae causae in mentem venerunt. Partim enim eorum, qui philosophiam tradunt, doctrina, methodus, ac docendi forma^a); partim ipsorum adolescentum, qui doctoribus auditores adsident, ingenium, capacitas, mores, atque praeconceptae opiniones, omnem utilitatem aut interuertere,

A 2

aut

- a) Breuiter, sed, more suo, *ἀπελάς*, id discrimen, quod inter *methodum* et *formam doctrinae* intercedit, obseruauit MARTINVS CHLADENIVS in *philosophia definitiua* c. III. §. 43. duo summa eius genera constituens. Eadem enim manente methodo possunt res tractari aut *simplici stilo* et sine ornamentis, ita ut nil nisi rei declaratio spectetur; aut *sententiose*, (L. oratorie potius) ita ut lectores vel auditores simul delectentur. Multa huc pertinentia reperies etiam in ALEX. GOTTLIEB BAUMGARTENII *Gedanken vom vernünftigen Beyfall auf Akademien*. Halle, 1741. 8. Quem libellum absque omni orationis cultu, sed solide scriptum auditoribus meis atque omnibus, qui in eligendis doctoribus dubii haerent, satis commendare non possum. Profecto non satis erit fido doctori, res veras et utiles proponere; non satis erit, eas bono ordine tradere, adeoque bona methodo uti. Nisi etiam doctrina sua se tanquam exuere, discensisque personam induere potuerit, nisi difficultates, quae tironibus occurrere solent, quae magnam partem ex saeculi ratione ac moribus, receptisque doctrinis et opinionibus aestimandae sunt, nouerit, adeoque non rerum modo sed et verborum et argumentorum delectum prudentem instituerit: non equidem mirabor, eum centies aut plane non aut male intelligi. Facilius profecto est rem ita explicare, ut docti te intelligant, quam populariter eam tractare. Quod frustra exspectamus ab iis, qui nihil sapiunt ex sese, qui ex alieno, cui mature sese addixerunt, systemate, in quo

quo

III

aut minuere atque corrumpere solent. ^{b)} Sed eas causas vni-
versas hic fusius exponere animus non est, propterea quod mi-
hi persuasum habeo, earum plerasque nulla corrigi posse ad-
monitione, sed a solo tempore medicinam expectandam esse:
tum etiam quod a peritis et doctis viris cupio magis accipere
consilia, quam ipsis dare. Vnam solam paullo adcuratius mi-
hi pertractandam sumsi. Est enim ex earum numero, quae
ab iis, quorum interest, breui et plana ipsius rei consideratio-
ne instituta, remoueri aut debilitari facile possunt. Ad illas
videlicet causas, quas in discentibus residere dixi, referri de-
bere existimo etiam hanc, quod adolescentes, vbi philoso-
phiam cum in veterum, tum in recentiorum scriptis largissi-
me laudatam inuenerunt, easque laudes quotidie repetitas au-
diunt, vocabuli similitudine decepti, longe maiore, quam par-
erat, expectatione ad philosophorum acroases accedunt: cui
expectationi cum postea satisfactum non esse vident, irati bo-
nae philosophiae queruntur eam difficultatum atque spinarum
plenam, ad res agendas inutilem esse: ponunt eam inter diffi-
ciles nugas, inuentas et cultas ab hominibus quibusdam, otio
et ingenio suo ad inanem lusum abutentibus. Qui etsi ma-
gis

quo saepe infelix lolium et steriles dominantur auenae, omnem sapien-
tiam hauserunt: neque enim hi alias fere difficultates norunt, quam
quae se ipsis obtulerunt tum, cum forte in intelligenda doctoris sen-
tentia, seu vera seu falsa illa, miseri haerent. Porro Socratica sim-
plicitas a quolibet philosophiae doctore, qui summam sibi legem con-
stituit discentium vtilitatem, erit multis nominibus Platonicae sublimi-
tati anteferenda. Neque enim Platonicae Academiae atque nostrarum
Academiarum ratio eadem est: Plato quidem in nostris cathedris con-
stitutus, parum certe profecturus esset. Omnino prodesse magis, quam
laudari cupere debemus. Non eo ista dico, quasi omnem oris facun-
diam a philosopho alienam putem. Sed cauendum sedulo est, ne stu-
dium bene atque ornate dicendi perspicuitati officiat.

b) Nonnulla huc pertinentia, sed pauca, reperiuntur in BILFINGERI
vtilissima et iucundissima lectu *orat. de praecipuis quibusdam discendi re-
gulis.*

gis in se ipsos, quam in philosophiam iniurii esse videri possunt: c) vt tamen iis, qui philosophiae studium primum adgrediuntur, pro virili parte consulam, paucis demonstrabo, primum quae sit ratio et indoles eius philosophiae, quae in Academiis proponitur; deinde, quem vsum Philosophia ista Academica praebere possit.

Et ad primum quidem quod attinet, neque de origine nominis Philosophiae ad modestiam philosophis commendandam valde apta exponam; d) neque illud persequare, quomodo, grassante horrida mediū aevi barbarie, foecunda illa genitrice multorum institutorum, quae a nobis improbata sancte tamen custodiuntur, factum sit, vt circa saeculum IX. prima illa Academia Parisiensis, sequentium exemplar, a Carolo M. conderetur, quae ab initio quidem per aliquot saecula in solis septem artibus liberalibus e) tradendis occupata, post receptam autem philosophiam Arabico-aristotelicam, cuius doctores ad hanc ipsam Artium Facultatem, non ad peculiarem aliquam referebantur, f) cum deinde partim Paparum studio,

A 3

par-

- c) Quis temperare sibi possit, quin subrideat, quoties videt eos ipsos esse philosophiae contemptores et insultores, qui si philosophorum aut ingenii philosophici nomen ipsis denegaretur, id aegerrime paterentur, immo tanquam de graui sibi illata iniuria vehementer conquererentur.
- d) Tritae sunt huius rei narrationes, paullulum tamen inter se discrepantes. Cf. CIC. TVSC. V. 3. et DIOG. LAERT. tum in *Prooem.* tum in *vita Pythag. c. 1.*
- e) Scilicet Grammatica, Dialectica, Rhetorica, Musica, Arithmetica, Geometria, Astronomia: quae tres priores *Triuium*, quatuor autem posteriores *Quadriuium* absoluebant. Earum doctores *Artistae* adpellabantur. Nullus tum *superioribus* sic dictis *Facultatibus* erat locus, sola ibi vigente *Facultate artium*. Cf. *Observat. Halens.* XVI. T. 6. et *Bruckers Frag. aus d. philos. Hist.* 5. Th. 2. B. 2. K. 1. Abschn. §. 3. De absona vocis *Facultatis* origine et significatione v. HEVMANNI praef. ad *CONRINGII antiquit. Acad.* pag. XIII.
- f) Inde *bonarum artium et philosophiae* creantur *magistros*. Et quanquam se-

se-

partim Imperatorum favore, Bononiae primum, deinde et Parisiis Decretalium atque Iuris Ciuilis qui extiterant interpretes, in vnam peculiarem Facultatem coaluissent, ^{g)} accessissetque mox et Theologica et Medica Facultas) aucta paulatim quatuor Facultatum numero, ^{h)} tam latam nominis *Philosophiae* significationem peperit, vt omnes omnino complecteretur artes et disciplinas, quae quidem neque ad Theologiam, neque ad Iurisprudentiam aut Medicam artem referrentur. ⁱ⁾ Facilia enim ista sunt et inuentu et intellectu. ^{k)} Ad tres potissimum hic mihi attendendum esse videtur vocabuli *Philosophiae* significationes, quae mirum quantum inter se commisceri ac confundi solent. Latiore quodam sensu ita vocatur scientia rerum plurimarum ex causis effectisque cognitarum. Hi fines tam late patent, vt nulla prorsus res, cuiuscunque tandem generis illa sit, reperiri queat, de qua non possis aliquo modo philosophari. Quidquid enim est, id non potest non aut rationem aliarum rerum in se continere, aut ex aliis rebus consequi et proficisci. Nullum hic vllius doctrinae caput,

sequentibus temporibus *Philosophicae* potius quam *Artisticae Facultatis* inualuit adpellatio, vtraque tamen idem significat.

g) En originem *Doctorum Iuris vtriusque, Canonici et ciuilis.*

h) Cum Parisiensis Academia esset vetustissima, ad eius formam institutae sunt Academiae reliquae, quae a Saec. XIV. condebantur. Mutatus tamen in his Facultatum ordo Academiae Parisiensis, in qua vetustatis iure primum locum tenet *Philosophica Facultas*, quippe ex qua sola Academiae Rectores creantur. Ceterum non in omnibus omnino Academicis receptae sunt *quatuor* Facultates. In Academia Louaniensi, vbi Iuris Canonici doctores peculiari gaudent Facultate, *quinque* numerantur; ne loquar de Vindobonensi, Rostochiensi, aliis.

i) Quo linguarum, poeseos, eloquentiae, historiarum, antiquitatum studia imprimis pertinent.

k) Adeat qui volet CONRINGII *dissertationes de antiquitatibus Academicis* vel BRVCKERI *historiam crit. Philosophiae*. Quod egregium opus etiam *theatrum ignorantiae, dissensionum et contentionum humanarum* inscribi potuisset.

put, nulla cuiusquam facti vel rei gestae narratio, nulla vel maxime arbitraria lex et constitutio excluditur. Philosophari dicendus es de *Iurisiurandi* crebro in foris vsu seu potius abusu, vbi eum intelligis causam esse posse, vt plurimi homines fidem datam, quam iureiurando non firmauerint, fallere nulli sibi ducant religioni; vbi perspicias, maiorem certe fidei auctoritatem et sanctitatem futuram esse, si eum, qui a iudice interrogatus, verum aut celauit, aut falsum respondit, maneret eadem poena, quae nunc quidem periuro proposita est. Philosopharis de *librorum symbolicorum* vsu, vbi v. c. consideras, an eorum beneficio dissensiones et lites, quae religionis causa oriri solent, caueantur aut componantur, et annon, quae antea de librorum sacrorum vero sensu exortae sunt controuersiae, nunc et ipsae nihilominus, et praeterea nouae de symbolorum sensu exoriri facile possint. ¹⁾ Philosophatur HORATIVS, in causas inquirens, qui fiat, vt nemo sua forte

con-

- 1) Ita nos ipsi quondam, si licet de nobis loqui, de *Tortura* philosophati sumus, eam *insontibus calamitosam, sontibus fauorabilem* demonstrare adnisi, conscripta super eo argumento dissertatione. Meminimus fuisse quosdam grauissimos viros, ad quos ex officii ratione libellum nostrum deferebamus, qui vix accepto libello atque inspecto eius titulo, nobis contradicerent et aut negarent, per immutabilem illam Nemesein Carolinam atque stabilem iudiciorum formam vlla ratione fieri posse, vt vsus Torturae abrogaretur, aut mirarentur et interrogarent, *quid rei Philosopho cum Tortura esset*, quae ad Iurisconsultos pertineret. Nos tum, quod inter priuatos parietes res agebatur, nihil magnopere mirati, paullulum tamen subridentes, ea, qua par erat, reuerentia tacuimus. Ceterum, quod vehementer gaudemus, experientia et euentus probavit satis rei et possibilitatem et vtilitatem: adeo verum est illud PLATONIS, *Beatam esse rempublicam, in qua qui gubernacula teneant, ii philosophentur*. Quam suavis et plena voluptatis cogitatio illa debet esse legislatori, sua opera et suo beneficio plus iam felicitatis in republica esse, minus cruciatuum et dolorum subiri, minus gemituum effundi? Quis tam duro natus est pectore, quin reipublicae gratuletur, totius societatis causa laetetur, ciuitatis rectores optimis votis et precationibus prosequatur, eorumque tam illustre exemplum, quantum quidem possit, etiam pro sua parte imitetur?

contentus viuat. Philosophantur THUCYDIDES, POLYBIUS, TACITVS, SLEIDANVS, ROBERTSONIVS euentorum causas et effecta exponentes. ^{m)} Ita possumus de scena, de ludis, de opificiis, de rebus diuinis et humanis omnibus varia ratione philosophari, si tum ad causas, quibus hae res continentur, tum ad ea, quae ex illis consequuntur, animum aduertimus.

Et maximi quidem nostra interesse, vt rerum rationes et effecta cognoscamus, ⁿ⁾ id facillime intelligi poterit. Et enim vbi phaenomena quidem et effecta cognoueris, eorum autem vires et causas ignores, qui, quaeso, effecta illa poteris aut exhibere, aut impedire, aut pro tuo arbitratu temperare? ^{o)} Profecto, si vlla re ad naturae dominium quoddam eue-

- ^{m)} Huius generis scriptores vulgo vocantur *Pragmatici*, vocabulo peridoneo et apto. Cum enim, vt paullo post demonstrabimus, eam demum rem ad vsus tuos accommodare possis, cuius vel effecta vel rationes perspectas habeas; quod autem idoneum hominem ad agendum reddit, *πραγματικόν* adpelleretur: adparet, historiam *pragmatice* scriptam idem prorsus esse quod *philosophice* scriptam, eamque solam posse nobis veros et vberes fructus praebere.
- ⁿ⁾ Ex obseruato isto magno cogitationis humanae discrimine ducta est nota eius diuisio in *historicam*, *philosophicam* et *mathematicam*. *Historica* quae dicitur, eam ego potius *phaenomenologicam* dicerem. Tironibus vehementer commendanda est peculiaris *de triplici rerum cognitione dissertatio* BILFINGERI. Diuisio tamen ipsa non videtur satis Logica esse. Rectius diuidetur cognitio humana omnis in *phaenomenologicam* et *philosophicam*; vtraque rursus in *vulgarem* et *eruditam* s. *ἐπιστημονικὴν*. *Mathematica* vero pro diuersa considerandi ratione aut a *philosophica* separari, aut ei accenseri potest.
- ^{o)} Vides v. g. fulgur, audis fragorem. Num potes fulgur et fragorem ipse efficere? Cur non potes? Ignoras scilicet, quibus rebus ista efficiantur. Iam dentur tibi sclopetum, puluis, globulus, linum, et monstretur, quomodo tormentum infarciatur et explodatur. Poteris nunc illa efficere. Sed quid, si rebus istis omnibus ad effectum sistendum careas? Poterisne ipse tibi conficere sclopetum et reliqua? Non poteris, donec modum et rationem perspexeris, qua istae res efficiantur. Ita Medicus morbi causis non satis perspectis, vt eum certa ratione propulset, nullo modo fieri potest.

euehimur, si vlla re nobis ipsis imperare atque animum com-
 pescere discimus, id non fit nisi diligenti caussarum effecto-
 rumque indagatione. Quid iam prodest, si scias, te ad iram
 esse procliuem, nisi etiam quot et quanta ex eo vitio mala
 consequantur, intelligas? Quanquam in horum ipsorum co-
 gnitione vbi substiteris, nondum ei vitio corrigendo poteris
 idoneam vllam rationem adhibere. Pergendum porro est, et
 diligenter inuestigandum, quibus legibus inclinationes animi
 subiectae sint, quibus caussis impetus animi exoriantur, quo-
 modo crescant, confirmentur, et quasi radices agant; quoque
 contra minui, debilitari, et ad vltimum extirpari possint.
 Quae omnia quo longius persecutus fueris, eo melius etiam
 perspicias, quid agendum tibi sit, vt iracundum istum animum
 tuum lenias, mitiges, et sensim sensimque deponas. Quid
 iuuat scire, hanc vel illam legem fuisse apud Romanos vel
 Graecos vel etiam Hebraeos, nisi etiam scias, quo consilio
 data fuerit, et quae commoda secum attulerit? quibus in re-
 bus inquirendis exemplum illustre praeiuerunt MONTESQUI-
 EVS et MABLYVS et MICHAELIS. Quid iuuat inquirere te,
 quibus temporibus quaeque imperia orta, et aucta, et ad sum-
 mum fastigium elata, deinde rursus imminuta et euerfa deni-
 que fuerint, nisi etiam insistas rationibus, quibus ista omnia
 sunt effecta? Hoc enim facto demum ex aliorum exemplis
 proficies, atque inde tibi tuaeque reipublicae, quod imitere,
 capies; inde foedum inceptu, foedum exitu, quod vites. *Fe-
 lix* igitur ille iure dicendus est, *qui potuit rerum vtilium quam
 plurimarum adcurate cognoscere caussas!*

Quae cum ita sint, quis est, qui miretur, talem quidem
 philosophiam, qualem hic descripsimus, a prudentissimo et
 peritissimo quoque celebratam, et tanquam viuendi magi-
 stram fuisse praedicatam? Haec videlicet est illa *Philosophia*,
 quam SOCRATES, qui admiratores innumeros, imitatores per-

paucos habuit; quam ARISTOTELES, cuius magis nomen quam ingenium per mille annos et amplius in orbe nostro exercuit latam et intolerabilem tyrannidem, cuiusque gloriam obruere potuit, non opprimere pulvis scholasticus; quam CICERO, rerum ciuilium et quidquid elegantiorum artium est, aequae peritus, et quoad eius scripta supererunt, vtrarumque amabilissimus doctor; quam ANTONINVS Imperator in solio, EPICUREVS seruus in compedibus ac vinculis, BACO tum in secunda tum in aduersa fortuna, CARTESIUS et in solitudine et in aula; quam denique LEIBNITIVS et LOCKIUS, grata illa et Theologis, et Politicis, et omnibus omnino rationem, virtutem et probitatem amantibus nomina et exempla, vno ore laudibus certatim ornant; cui suas virtutes, gloriam, felicitatem acceptam ferunt. Itaque probo et laudo et sequor tuam *Philosophiae* definitionem, quisquis illius elegantis libelli scriptor es, cui titulum fecisti, *Les avantages de la Philosophie relativement aux belles-lettres*: quam definitionem hic totam describere libet: *J'appelle Philosophie la raison cultivée, amenée au point de perfection, dont la foiblesse humaine est susceptible, & appliquée aux moyens de rendre les hommes heureux par la pratique des vertus et la connoissance des biens, & à la jouissance des plaisirs, que l'Être Suprême a mis en leur disposition. En deux mots, c'est une force de raison, qui fait penser, dire & faire de grandes choses.* Proinde, quo quisque plurimum et praestantiorum et magis ad hominem pertinentium rerum scientia instructus est, eo magis nomine philosophi dignus est. Ideo SOCRATES, qui praestantissimam *Philosophiae* partem docuit, nominatus est parens *Philosophiae*, dictusque *Philosophiam* de caelo deduxisse.

Atque haec tanta cognitionis huius utilitas mature animaduersa, primos inuentores perpulit, vt ea, quae experiundo
et

et meditando sibi visi essent detexisse, in aliorum et posteritatis gratiam litteris consignarent.

At enim, quod praetermitti non debet, singularum atque indiuiduarum rerum, nisi permanentes eadem sint, nulla est, cuius causae, propter infinitam circumstantiarum diuersitatem, ita cognosci possint, ut ea cognitio ad similes res alias adplicari possit: cum usus cognitionis philosophicae in eo ipso maxime cernatur, ut, similibus euentis inter se collatis, et *principiis uniuersalibus* inde abstractis, horum ad res obuenientes adplicatione facta, possis, ubicunque opus est, ex effectis rationes, et ex rationibus effecta colligere. Quare factum est, ut *philosophi* dicerentur ii potissimum, qui in *elaborandis principiis uniuersalibus* versarentur, neglecta rerum singularum ac transeuntium ratione. ^P) Quodsi primi illi rerum philosophicarum scriptores, et qui eos maximo numero secuti, sua cogitata illorum inuentis addiderunt, semper feliciter rem gessissent: certe praeclare nobiscum actum foret, qui eorum placitis tanquam primis scientiae gradibus et fulcris suffulti, non in veterum commentis examinandis et discernendis, verum in rebus nouis excogitandis atque addendis occupati essemus. Perperam enim saepe illi boni maiores

B 2 nostri

p) Hoc modo a Philosophia excluduntur historicorum et oratorum narrationes, quae sunt omnes rerum transeuntium, item omnia instituta ab arbitrio humano pendentia, quippe quae non perdurant, atque adeo a maxima hominum parte non possunt nisi fide cognosci. Quamobrem perinde est, virum cum *BAVMGARTENIO* philosophiae materiam constituas, quidquid absque fide cognoscitur; an cum *CRVSIO*, quidquid in hoc mundo stabile atque perpetuum est; an cum *WOLFIO*, quidquid possibile aut impossibile est, (quidquid enim in rerum natura est et agit, indiuiduum est et agit, et praeter Deum omne transiens est); an denique cum aliis, quidquid sola ratione, quatenus fidei opponitur, cognosci potest. *Hominem* qui Philosophiae argumentum constituunt, ii videntur mihi praeter necessitatem Philosophiae limites nimium coarctare.

nostri obseruarunt: male haud raro meditati sunt, et inepte coniecturarunt: vera cum falsis, indubitata cum probabilibus miscuerunt: non paucas minutias incredibili studio sectati excoluerunt: aliquando etiam nubem pro Iunone amplexi, somnia vt sanae mentis principia; hypotheses vt oracula; ea quae certis tantum temporibus ac locis apta essent, tanquam toti generi humano salutaria venditarunt. ^{q)} Praeterea ita discerpta, atque in tot tamque variis variorum scriptis dispersa et diffusa est ista doctrina, vt non possit nisi aegre et membratim colligi, neque longissima vnus hominis aetas sufficiat omnibus omnino scriptis legendis, ponderandis, excerpendis. Quid igitur? Spernendusue plane tantus erit a maioribus nobis relictus adparatus? potiusne falx in istam messem non immittenda, quam lolium operose a tritico separandum, vt frumenti quantum satis sit, in horrea tua deponas? Minime vero. Quam misera, ieiuna, et vere plebeia foret nostra scientia, quae nullis alienis locupletata opibus, vix vltra ea, quae sensus feriunt, nos sapere sineret? Quam confusa porro, et multis partibus manca et mutila futura illa esset, cuius omnis adquisitio penderet a coeco quodam casu, a fortuitis aliorum colloquiis, a scriptis temere occurrentibus? ^{r)} Quid igitur faciendum erit? Nihil aliud certe, quam hoc, vt, qui rerum philosophicarum studio maxime delectantur, ii tum veterum, tum recentiorum philosophorum scripta assidue legant, et
ope-

q) Dicitur non potest, quantam hic postremus error peperit apud nos multitudinem et confusionem iurium, opinionum, linguarum atque morum peregrinorum.

r) Hanc ego causam esse existimo, quare non pauca ingenia miro acumine praedita, et in vna vel altera scientiae humanae parte, quam casu oblatam adripuerunt, egregie versata, paene vt oracula loqui videantur, multarum aliarum partium, earumque haud paullo grauiorum et nobiliorum, saepe adeo ignarae sunt, vt ne prima quidem earum elementa teneant, ac ne hoc quidem sciant, se illas nescire.

operam dent, vt, quantum id quidem per imbecillitatem humanam licet, falsa a veris, vtiliora a minus vtilibus discernant, optimam quaeque excerpant et colligant, eaque, si possint, propriis inuentis augeant, vacuas sedes notent, classes et capita rerum constituent, et per partes eundo ita inter se omnia disponant et connectant, vt, si muneris ratio id poscat, etiam aliis bona methodo et forma suam doctrinam possint proponere. Cuiusmodi rerum philosophicarum prima initia et elementa in artis formam vel systema redacta, eam ipsam philosophiam constituunt, quam vulgo fere solam honorifico philosophiae nomine adpellant. s)

Atque sic tandem ad principem quaestionem deuoluti sumus, quam diiudicare nobis iam satis praeparatis non adeo difficile erit. Doctrina enim Philosophiae Academica quid aliud esse potest, quam eiusmodi systematica rerum philosophicarum collectio? Quod si quis vel solam Systematis condendi difficultatem, et humanarum virium imbecillitatem errandique periculum considerauerit: is certe vix tantum honorem systemati vlli philosophico deferet, quantus ei a plerisque tribui solet. Etenim si Systematum origo talis est, qualem exposuimus: quis est, qui non videat, nullum vnquam

B 3

Sy-

s) Satis, vt opinor, liquet ex iis quae diximus, etiam absque systematis alicuius continua explicatione valde bonum aliquem euadere posse philosophum, forsitan etiam longe aliis praestare, qui systemati suo tanquam concha saxo adhaerentes, non vltra pergant, neque frequens examen sui Systematis repetant. Quae tamen ita nolim accipi, quasi nos tum systemata, tum systematicos parum aestimemus, aut etiam vilo modo contemnamus. Neutiquam confundendi sunt *systematicus* et *sectarius*. Cum enim fieri non possit, vt vel summus Eclecticus nihil prorsus sequatur, etiam Eclecticum, nisi eius opiniones male inter se cohaerere velis, oportebit aut *Systematicum* esse, aut (venia sit verbo!) *Confusionarium*, siue cum BILFINGERO eum *Quodlibericum* dicas. Nam *Sectario Eclecticis* opponitur, non autem *Systematico*.

Systema posse perfectum atque omnibus numeris absolutum expectari, sed optimum illud esse, quod minimis vitiis vigeatur, et paucissimis erroribus deprauatum sit? Quaero equidem, an vllus vel optimus philosophiae doctor, non dicam omnia, sed tantum optima quaeque ab aliis philosophis tradita legerit? an ea, quae legit, memoria teneat? an rerum vtiliorum delectum semper iustum habuerit? an res nullas alias, quam verissimas et praestantissimas collegerit? an quas collegit, eas omnes arctissimo temporis spatio conclusus possit, non dicam explicare, sed modo attingere? an denique omnia scitu digna et vtilia iam sint in lucem protracta? Qui ad singulas harum quaestionum ex animi sententia responderit, is facile, nisi omnia me fallunt, mecum consentiet, nullum Systema, quamuis claro inuentoris nomine splendeat, pro stabili et inconcusso omnis scientiae humanae fundamento reputari posse ac debere. Qua in sententia multo magis etiam confirmabitur, qui tot philosophorum, Systema aliquod professorum, intolerabilem et intolerantem pervicaciam in semel adoptatis opinionibus tuendis perpenderit^t). Sed omnia haec, licet sint verissima, nunquam tamen do-

t) Haec praecipua videtur esse causa, cur *Systematis* et *Systematici* nomina paene in contemptum abierunt. Nullo enim modo negari potest, plerisque alienis potius quam suis oculis videre, atque adeo saepius caecutire. Eligunt sibi plerumque ducem, nominis celebritate insignem; et quoniam ab initio parum acuminis atque rerum subtilium usu pollent, veri videndi cupiditate et doctoris auctoritate decepti, huius placita tanquam de caelo demissa ita studiose ac reuerenter excipiunt, ut nihil curent, quid alii philosophi dixerint, sed eos indicta causa condemnent. Ergo eo denique deueniunt, ut optime in eos quadret vox CROSAE (CROUSAZ), dicentis in *Logica*, *Ils siffleront de jeunes Perroquets, comme ils ont été sifflé eux-mêmes, lorsqu'ils apprirent à devenir Perroquets.* Inde sectariorum seruum pecus, quorum saepe ita inconsultus et caecus seruator est, ut ad calumnias, conuicia, immo ad imprecationes, confugere malint, quam pati sanctas suas opiniones impugnari. *Was nicht mit Gründen kann, das schützt sich mit Teufeln,* est

doctrinae systematicae inutilitatem euincant. Dummodo philosophi Systema nullum pro symbolo quodam sancto et inuiolabili commendat, nec arrogantiae plenus velit se solum Argum, ceteros omnes Cyclopas aut talpas putari; modo ut sua dogmata itentidem perlustrat, corrigat, adaugeat, neque aut dedignetur, aut grauetur ab aliis quibuscunque philosophis proficere. Talis certe magister non poterit non commendabile Systema proponere, ac studiosae iuuentuti doctrina sua plurimum inferuire. Ut historia nihil aliud est, nisi exemplis proposita philosophia quaedam: ita philosophiam meminerit sobrius Systematicus nec omnem esse quidquam aliud, nisi universalium notionum et principiorum historiam et explicationem. Quae quo concinniori ordine disposita erunt, quo aptius omnia et singula inter se cohaerebunt, eo facilius intelligentur, addiscentur, eoque maiorem in auditorum animis vim exercebunt. Praeterea vero diligentissime cauebit, ne discipulorum animos auctoritatis praeiudicio fascinet, ut in non intellecta iurent, ipsumque magis quam veritatem colant et amplectantur. Quod quidem optime fiet, si etiam aliorum sententias recte intellectas diligenter exponat; si modeste iudicium ferat; si eorum, quae tradit, usum exemplis, quantum id fieri poterit, e communi vita petitis ostendat; si denique aliquot clara philosophorum de grauioribus capitibus scripta laudet ac commendat. ^{u)} Quae quidem omnia praeclare pos-

est vox, nisi fallor, immortalis HALLERT, qui etiam rationem docendi, quam in Academiis seruare debent doctores, paucis sed verissimis verbis describit, dignis profecto, quae adponeret L. B. AB HOHEN-THAL in suo *de Politia* eruditissimo libro §. XXIII. pag. 59. Sed vitia maximae partis Systematicorum Systemati ipsi nequaquam debent imputari.

u) Multa huc pertinentia et bona reperies in libro, *Revision der Philosophie*, 1 Tb. S. 60—90. Quae enim ibi adferuntur *de forma doctrinae*, haud

possunt cum *Systematis* ratione consistere, nisi et originariam et vsitatam eius vocabuli significationem velis absque ratione alio detorquere. *) Igitur extra omnem dubitationem constitutum esse mihi videtur, systematicam quidem formam cum pessima doctrina posse coniunctam esse, nullam vero probabilem doctrinam illa forma carere posse. Fructus autem, quem eiusmodi adfert institutio praecipue in eo cernitur, quod cum temporis ac laboris compendio eam consequeris facultatem, vt philosophos ipsos iam propius cognitos melius et facilius intelligere, ordinatam eorum lectionem instituere, scientiae omnis quasi tabulam quandam vno obtutu intueri, quae partes potissimum a te studiosius cognoscendae sint, iudicare, in disciplina quacunque felicius versari, plurimarum denique rerum clariorem, firmiorem ac pleniorrem scientiam possis acquirere.

Quicumque igitur veritatis et sapientiae amans ad philosophicas scholas accedes, ne accedas eo animo, quasi aut per breui temporis spatio totum scientiae humanae oceanum sis exhausturus; aut in vnus doctoris tui placitis debeas subsistere: neu speres, doctorem falli nescium a te repertum esse: neue satis habeas scire, quid ille statuatur, sed etiam inquiras

haud paullo magis mihi probantur, quam illa, quae proxime ante vir doctissimus exposuit de philosophiae natura et indole, eiusque methodo et fine.

x) Bene MAIRANVS in praef. ad Tract. *De la glace*, in qua vulgares contra Systemata obiectiones refellit, cuius verba ex verl. germ. haec sunt: *In was besteht sonst der systematische Geist, als nur in der zu einer Fertigkeit gewordenen natürlichen Geschicklichkeit uns einen vernünftigen Plan von unserm Gegenstande zu machen; das, woraus er zusammengesetzt ist, nach dem, was uns davon bekannt ist, in ein Ganzes zu bringen; um davon stufenweise zu demjenigen zu steigen, was uns davon noch unbekannt, aber zu wissen nützlich ist? Man missbraucht die Wörter, wenn man etwas anders darunter versteht etc.* Sed tota praefatio legi meretur.

quiras, quid statuere debeat. Qua quidem in re fieri non poterit, ut feliciter procedas, ubi eius formulae tanquam glebae adhaeris, aut in solo eius Systemate, tanquam in Labyrintho nullum exitum habente, tua semper ipsius vestigia premens, oberraris. Supra omnia vero ne mireris aut stupeas, ubi philosophus tuus non in phaenomenis adquiescens, sed in eorum causis indagandis occupatus, longe tibi alium quasi mundum exhibebit, quam is est, quem antea duntaxat sensibus tuis confuse percepisti: ne vituperes illum, aut praeue diffames, quod non a paucis vulgo receptis opinionibus audet discedere. Non potest, non debet philosophus in vlla re defendenda elaborare, quae non possit nisi turbae auctoritate defendi. Sed plerumque solet inuisa esse quaecunque noua sententia ^{y)}: et ut, quemadmodum CICERO ait, *nihil unquam tam absurdum reperiri potest, quod non a philosophorum quopiam sit defensum, ita vix unquam veri et boni quid in medium prolatum fuit, cui non a principio vehementer occlamatum sit.* Dicitur non potest, quot et quantis obstaculis ingenii humani progressiones in omnibus artibus remorata sit atque impedierit nimia veri iam possessi opinio ^{z)}. Quid sperari poterit,

y) Causas inuidiae nouarum opinionum et sententiarum complures exposuit cel. HOLLMANNVS in *diff. de inuisis plerumque nouis veritatibus*. Earum causarum alias in iis, quibus noua proponuntur; alias in iis ipsis, qui ea proponunt, quaerendas esse commonstrat.

z) Quis est, qui non libenter adsentiat L. B. AB HOHENTHAL in supra laudato libello *de Politia* sic differenti de librorum censura: „Omnis vero censurae natura in eo versatur, ne quid aut religioni, aut honestati, aut reipublicae contrarium reperiatur. Sed, „eheu! quam male hoc quidam interpretantur censores! Alii enim „libri, qui ab omni seueritate alieni et licenter scripti sunt, - - - „non modo non opprimuntur, sed etiam publice venduntur: alii vero, „qui veras omnis generis sententias defendunt, vitiosam reipublicae „administrationem monstrant, ad eamque corrigendam media adferunt, non supprimuntur modo, sed paulo post etiam prohibentur.“ Equidem valde persuasum mihi habeo, ne Catone quidem ipso libro-

erit, vbi ad ARISTOTELIS^{a)}, aut aliorum hominum labilium et labentium sacrosanctam auctoritatem agnoscendam vel iureiurando obstrictus fueris? Ceterum ne Charybdin vitans, in Scyllam incidas, nihil magis fugere debes, quam illam miserimam et infelicissimam mentis fluctuationem, quae ab imperitioribus facillime cum Scepticismo confundi solet^{b)}, per quam fit, vt inueniendi veri difficultatem praetexens, ebrius titubanti haud absimilis, non amplius id, quod probabile, sed nihil plane nisi quod sensus adficiat, quod honoris aut lucri aliquid promittat, expetendum et sequendum esse ducas. Quin potius auctor suatorque tibi sum, vt quidquid, adhibita iusta diligentia, visum tibi fuerit verum esse, id, etiamsi falsissimum sit, cum erit opus, agendo sequare: sic tamen, vt nondum te ad summum scientiae fastigium euectum esse intelligas, atque adeo indefessa studii contentione operam des,

vt,

rum atque opinionum censore constituto, huic rei medelam adhiberi posse. Sed de hoc argumento alias fortasse plura differendi opportunitas dabitur. Interim lege pauca illa, quae MERCERIVS in libello, *Eloges & Discours Philosophiques*, quem nuper nostratibus in linguam vernaculam versum exhibuimus, super eodem argumento philosophatus est *Abb. I. vom Glück der Gelehrten*.

- a) Ne longus sim, praetermissis aliis, vnum tantum huius rei exemplum adferre libet. In variis quondam Academiis Philosophiae magistri ad hanc iurisiurandi formulam adigebantur: *Ego NN. optimarum artium Magister quemadmodum stipulata manu Decano, Vicecancellario et Examinatoribus promisi, cum nobis candelae offerendae essent, me nolle docere, quod alienum esset a Philosophia Aristotelica ac doctrina recepta, ita et id nunc repeto, me deinceps celebratissimam Philosophiam Aristotelis in hac incluta Academia receptam non modo non damnaturum, sed etiam tum in praelectionibus, tum disputationibus publice priuatimque auditoribus vt veram, vtilem et discipulis necessariam commendaturum, omnibusque, qui nouandi studio doctrinam publicam conuellere ausi fuerint, pro virili restitutum. Ita me Deus amet!* v. GENZKENII *histor. philosop. Hamb. 1724. pag. 164.* Videbatur forsitan bonis maioribus hic optimus esse modus ponendi obicem dissensionibus et controuersis philosophorum.
- b) Quam facile Sceptici possint cum Dogmaticis in consensum adduci, si vtrique modum teneant dudum iam ostendit FABRICIVS in praef. ad SEXT. EMP.

vt, sicut aetate, ita et sapientia, gratiaque tum apud Deum, tum apud homines proficias.

Atque haec quidem sunt, quae proponere hac oblata scribendi opportunitate, haud alienum ab iniuncti mihi officii rationibus esse iudicavi. Quae si discentibus nonnihil proderunt, doctis non omnino displicuerint, erit certe, quod vehementer gaudeam.

Nunc vero ad TE mea sese vertit oratio, ELECTOR SERENISSIME, qui pro summa TVA erga omnes, qui TVAE ciuitati aliqua ex parte utiles esse cupiunt, clementia, etiam mihi philosophiae docendae munus professorium extraordinarium demandare voluisti. Non is ego sum, qui existimem, me praeclarum illud, quo sum a TE ornatus, beneficium aut vlla re promeritum esse, aut alio modo vnquam promereri posse, nisi et illo grata mente praedicando, et meo recte agendi studio acrius intendendo. Nam verissime possum adfirmare, me tam vehementer, quam quenquam alium cupere atque optare, vt muneris a TE mihi commissi partibus omni ex parte satisfaciam, atque almae huius Academiae, quae sub TVIS auspiciis floret, (semperque floreat!) studiosis adolescentibus pro mea virili parte inseruiam. His ego studia mea, his vires meas, his vitam denique ipsam dicatam et consecratam esse volo.

Iam vt finem scribendi tandem faciam, quod ab SERENISSIMO ELECTORE FRIDERICO AVGVSTO mihi commissum est munus, quam eius adeundi causa more institutoque maiorum sum habiturus orationem, ad eam audiendam cum valde optabile mihi sit plurimos conuenire: maximis precibus etiam atque etiam vos rogo et oro,

RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, ILLVSTRISSIMI COMI-
TES, VTRIVSQUE CIVITATIS PROCERES VENERABILES,
COMMILITONES GENEROSISSIMI NOBILISSIMI ATQVE OR-
NATISSIMI, VT mihi *de mutuo disciplinarum inter se nexu* di-
cturo frequentes et beneuolis animis alesse, praesentiaque
VESTRA diei mei honorem et laetitiam augere atque celebra-
re velitis. P. P. in Vniuersitate Artium Lipsiensi, Kalend.
Iul. A. C. N. CIO IO CCLXXVIII.
